QVÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIII. FEBRVARII.
M. IACOBO COVSINOT Doctore Medico Moderatore.

880

An calculus in rene aut veſica aliquo liquore ſolui poteſt?

CALCVLVS non eſt morbus ſed multorum morborum cauſa & πρόδρομος, excrementi inutilis ſoboles, non in ſolo rene aut veſica, ſed in omnibus corporis partibus generatur, in his varia excitat ſymptomata, pro vario ipſarum vſu, officio, ſitu, conformatione, inſidioſus hoſtis & occultus vbique ſuccreſcit, nec ipſis etiam principibus partibus parcit, ne cerebrum quidem quantumuis molle & frigidum humidum ab hoc morbo vindicatur. Sed præcipue huic vitio obnoxia ſunt renes & veſica, inſtrumenta attrahendo deducendóque ſero dicata, dum ſeroſos humores emulgent ſitu ſuo decliui & viarum amplitudine ex toto corpore copioſam alliciunt illuuiem, arthriticorum tophi & oſſei ſyphilidos nodi videnturne ſub eodem cenſu reponendi?

VT in omnes corporis partes non mediocrè habet imperium, ſic nulla ætas immunis eſt ab eius tyrannide, non minus pueros & iuuenes quam ſenes decrepitos & acheronticos infeſtat, ne mulieres quidem quantumuis menſtruales, illius ſæuitiam vitant, nihil prodeſt regio, nihil viuendi ratio ſiue abſtemia & frugalis temperantium, ſiue laborioſa ruſticorum, ſiue otioſa vrbanorum locupletum, hoc tamen intereſt, quod pueritia & ſenectus cæteris ætatibus, viri mulieribus & eunuchis, intemperatæ plagæ temperatis, lurcones & polyphagi ſobriis, οἰνοπόται aquæ potoribus, vrbani ruſticis, otioſæ vitæ ſtudioſi exercitia colentibus grauius & frequentius calculo prehenduntur, à quadrageſimo ſecundo ad ſexageſimum tertium annum ſumuſne à calculi generatione immunes?

CONCRESCIT in veſica aut rene calculus ex humore craſſo feculento viſcido, vi caloris acrioris & ignei, is humorem nactus terreſtrem & lutulentum abſumpta tenuiori portione potentius eum deſiccat, cogitque in arenulas & calculum, additione nouæ materiæ in dies augetur & grauiora ſenſim producit ſymptomata dum renes obſidet, ſequuntur dolor grauans, ventris aſtrictio, cardiogmos & vomendi deſiderium: dum veſicam, vrina albicans & lactea muco vel arenulis perfuſa, pruritus in balano, à mictione dolor, perpetua micturiendi cupiditas, vrina guttatim effuſa, & ab equitatu, curru, exercitioue vehementiore cruenta, quibus ſi accedant hæreditaria renum diſpoſitio λιθοποιητικὴ, ſtrictiores vrinarij meatus, viuendi lex exlex à ſalitis, acribus, piperatis, placentario & dulciario opere, vina craſſiora, aquæ paluſtres, magnus calculorum eorumque ſic induratorum vt diſſolui nequeant prouentus expectari debet. an Lutetiani propter aquas plumbeis canalibus deductas calculoſi?

OPEROSA inter omnes, affectus illius curatio, cum primum in rene generatur, ὁρμῇ naturæ impulſu atque impetu, in veſicam cum vrina protruditur, mora longiore, incrementum capit & ſi affectet exitum periculum intentat, in veſicam elabi innoxium eſt, hærere in vretere cruciatum parit acerbiſſimum à quo præſentaneum periculum, veſicæ calculo vtique procurandus exitus aquis mineralibus ſpadenſibus &c. ſed ante ſymptomatis obuiam eundum, enemate malactico, phlebotomia hinc inde celebrata, catharſi blanda, litu, fotu, inceſſu, balneo, quæ ſi fruſtra ſint, vnica ſupereſt perinæi ſectio, cuius beneficio qui continetur in veſica grandior lapis à perito lithotomo extrahitur: vix crediderim ſummum medendi magiſtrum, vt nobiliſſimam ſic ſumme vtilem ἐγχείρησιν noluiſſe adminiſtrare, eo nomine mihi plurimum ſuſpecta adiuratio, gratulandum æuo noſtro quo tam diligentes & induſtrij ſuppetunt artifices qui ſæpius fæliciter, raro calamitoſe præſidium iſtud adhibent.

LONGE fallacior & periculoſior curatio per lithontryptica, ſua licet iactent balſama, ſales, olea pretioſoſque liquores agyrtæ comminuendis calculis & in tenuiſſimum puluerem atterendis, nihilo plus promouent, quam ſi ſilicem affuſo lixiuio ſoluere contendant, neque maior fides habenda ſuſpenſis aut foras admotis amuletis, quæ vt minus periculi ſic plus habent ſuperſtitionis, vt portentoſa nomina & barbaræ voces laminis aureis inſculptæ, mirandis ſuis pollicitationibus fucum faciunt, ſic chymica & vere chimerica magiſteria liquoreſque tartarei augent damnis ægrum, vi ſua cauſtica exemplo pueri Theophorbi, qui cum acrius pharmacum ebibiſſet, periit à potione cum ſummo cruciatu, citius veſicam diſſoluet ſal orionius quam eius calculum, Tiburonum lapis, benignior non potior, vt fictilia ab immoderato calore concreta liquari poſſe negat naturæ genius ſic λιθῶν φύσιν ἄτηκτα ſcribit, nulla ſunt calculorum τηκτικὰ quæ non ſint ſanguinis & carnium συντηκτικὰ, temeraria eſt omnis medicina, peſtifera & mortifera quæ ſoluendo veſicæ calculo adhibetur, deinde in tam variis anfractibus, tantaque viarum diſtantia nunquam lithontryptica, integris viribus illæſiſque quas permeant partibus ad affectum locum peruenient.



Ergo Calculus in rene aut veſica nullo liquore ſolui poteſt.

Proponebat Lutetiæ PETRVS BOVRDELOT Senonicus. A. R. S. H. M. DC. XL.